

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Reconciliatio c cum fonte primo

Sciendum est quia ille recte delicti sui ueniam postulat qui prius hoc quod in ipso delinquitur relaxat. Munus enim non accipitur nisi ante discordia ab animo pellatur, dicente ueritate: Si offers munus tuum et cetera.

Qua in re pensandum est cum omnis culpa munere soluatur quam grauis est culpa discordie nec munus accipitur. Debemus itaque ad proximum quamuis longe positum, longeque disiunctum mente ire, eique animum subcere, humilitate ac beniuolencia placare.

Gregorius in dyalogo libro IIII.

Sed inter haec
sciendum est quia ille
recte sui delicti ueniam postulat, qui
prius hoc quod in ipso delinquitur
relaxat. Munus enim non accipitur, nisi
ante discordia ab animo pellatur, dicente
ueritate: Si offers munus tuum
ad altare et recordatus fueris quia habet
aliquid aduersum te frater tuus, relinque
ibi munus tuum ante altare et uade prius,
reconciliare fratri tuo, et tunc ueniens
offers munus tuum (Mat. 5:23-4).
Qua de re pensandum est, cum omnis
culpa munere soluatur, quam grauis
est culpa discordiae, pro qua nec munus
accipitur. Debemus itaque ad proximum,
quamuis longe positum longeque
disiunctum, mente ire eique
animum subdere, humilitate illum ac
benevolentia placare,
et scilicet conditor noster, dum tale placitum nostrae mentis aspexerit, a peccato nos soluit, quia munus pro culpa sumit.

Gregorius Magnus, *Dialogorum libri IV.*, 4, 62, 1 (SC 265, A. de Vogué ed., p.204, ll.1-15).